



DEO OPTIMO MAXIMO,

VIRGINIQUE DEI-PARÆ,

ET S. LUCÆ MEDICORUM ORTHODOXORUM PATRONO.

QUÆSTIO MEDICA, *

CARDINATIIS AGITANDA DISPUTATIONIBUS,

In Antonianis Medicorum Remensium Scholis, die Jovis

vigesimâ-seximâ Julii 1792, horâ septimâ matutinâ.

M. JOANNE-BAPTISTA-PETRO-HENRICO CAQUÉ,

Doctore Medico, Professore Mallio, Præside.

An Aqua vitæ, Aqua mortis?

I.

FLUANT humores benignè, nec rigidæ sint plus æquo fibræ, nec plus æquo molles, stat microcosmus: reciprocos secùm motus consociare ament, viger, & in annos vigebit innumeros. Mirari desine! Noluit parens Natura villos ex unâ parte validius obniti, quam pulsare ex alterâ. Non à fluidis vita: non à solidis duntaxat; sed ab expedito jugique fibrarum liquorumque motu repetenda. Nulla daretur absque liquoribus vasorum expansio: nulla Diastoles. Si submoveatur vasorum renifus; undenam Sistolles? Unde perficitur hominum progressio? Sunt sua liquoribus munia. Sunt solidis appendices suæ. Arietat indefinenter in canalium parietes amicus ille, quem cohibent, liquor. Illo distenduntur; nec multo post, præ mirâ quâ pollent elasticâ vi, priorem recuperant statum; humoremque contentum propellunt. Sæpe temperata solidorum oscillatio: Immodica cave sit aquosarum, ætherearumque, quibus compingitur sanguis, partium perturbatio. Hinc videntur membra, interno pacificoque rore recreata. Immotis tùm, constantissimisque innixis columnis, Nestoreos attinges annos. At brevior vitæ decurrabitur summa, si tollatur blanda & æquabilis solidorum oscillatio; si debita pessundatur fluidorum fluxilitas.

(*) Parisiis M. PICOTÉ DE BELESTRE, D. M. Præside. 7 Aprilis 1799.

Vix nati rumulo devovemur. Huc tandem deveniendum quo Tullus dives & Aëcus. In annosioribus animantibus corporis fibrillæ duriores evadunt, sicciorefque. In iisdem humores in progrediendo tardiores, eoque prompti minus ad pororum meatus trajiciendos. Prænuncia hæc senectutis, mortisque ipsius specimina. Fibris rigitate, tensione nimia, aut Erethismo laborantibus: nulla non corpori morborum cohors incubat. Si lenti humores, si spissi, si acres in alveis suis excipiantur; stragem edunt ubique deplorandam. Labefactatur æquabilis fibrarum oscillatio? innumera statim exurgunt ægritudinum symptomata: & quidem gravissima. Hinc Phrenitis: hinc Plevritis: hinc pravi Pulmonum, Thoracisque labores. Quis Erethismo non adscripserit iliacam passionem? Quis non dolores colicos? non alia sanè epilepsie origo. Non alia apoplexie, paralyseos, hysteriarum, hypocondriacarumvè affectionum causa. Nec minora pariunt incommoda, si steterint, aut remissius fluant humores, quicumque illi sint, vel sanguis, vel succus nerveus, vel lymphæ. Malè torpente sanguine, fitis ora occupat inextinguibilis, & alba faucium siccitas: cutis aret. Obstructiones progengerantur: vix ægrum trahas spiritam: æstuat intus ignis; vasaque ipsa sanguinea disrumpuntur; undè hæmorrhagiæ frequentes &c. Quid de succo nerveo? intra fibras suas fistulosas, ne diutius immoretur: aliàs interpolabitur partium motus, sensus & nutritio. Quânam aliâ vi peragerentur corporis functiones: hæc languente languidiores; tota propè virium profectio; inexplendus somni appetitus. Si variis succussibus partes alluat; alia enascuntur morborum genera: importunus membrorum tremor, motusque spasmodici. Hærent lymphæ bilisque crassitiè tardâ impeditæ. Ne speres alvum subduci facilem. Icterus timeas, febres ardentis, erysipelata, præda futurus arthritidis, rhumatismi, & catarrhorum. Pereant igitur ea omnia quibus fibræ corrugarentur crispanturque, quibus humores in grumos concreverent, malorum omnium progeniem edituros.

I I I.

IMPROVIDAM sanè hominum mentem! Sapida & spirituosâ potulenta, insipidis & naturalibus ut plurimum anteponunt. Vinum aquæ præfertur: interdum Aqua vitæ. Nullius non mali seminarium Bacchus est: arridet vinum oculis, at viscera distorquet: naribus blanditur; sed quæ blanditiis fides? urget, premit incautos modis omnibus sauciandos. Quid cum deposito illo quo obvolvatur phlegmate & empyreumate, igneus evaserit, nullo vinculo, nullis repagulis coercendus: nil tùm nisi volatile, nisi sulphureum respuit. Stupeat deplorandos Aquæ vitæ: stupeat spiritus vini lethales effectus, quisquis Mechanismum nescierit. Nec suppositus ignis iste est cineri dolofo: Quis ipse sic, declarat confestim. Tantùm tetigisse, extremo ore delibasse sat est. Introducitur in os viri rectâ fruētis valetudine? oritur musculorum omnium, membranarumque spasmus diù implacabilis, quo salivalis vel undè quaque repercutiatur humor, vel in massam cogatur refluere sanguineam. Inrerèa delabitur in ventriculum; utinam cibo referum aliquo: minor exindè ruina; si vacuum, strages partium omnium internarum lugenda. Tunc in obvias quasque fibras ruere impetuosis, membranas exsiccare, mille jaculis confodere, vellicare. Nec parcat intestinis omnia latè depopularum liquor. Putridus ex eo chylus venas subit lacteas: torridus ubique: sanguinem ipsum jamjam coagulo depravaturus. Quid ad hæc spirituosorum captatores? se ipsos concutiant, toties expertos similia, veritatis hujus sibimet intimè conscios, interpolari Aquæ vitæ potatione, humorum, solidorumque consortium.

ENUMERET qui potest & vacat singula morborum genera, à spirituosorum potatione progenita. Quid penitiora naturæ rimamur viscera? ponatur sub oculos corpus humanum aliquod nimia Aquæ vitæ copiâ sopitum, emortuum. Feralis homini huic edormienda crapula. Rigent marmore ipso frigidiores, partes artuum extremæ. Tenuissima vix deprehenditur caloris scintillula. Penè exsiccatis visceribus, glandulisque; coarctata vasorum extrema sanguinis cursum aut minuunt aut prorsus sistunt impervia liquoribus. Nullus succo nerveo, nullus lymphæ, vasa capillaria pervadendi locus. Somnus profundior, strepitu nullo, etiam si fractus illabatur orbis, dimovendus. Nec mirum! Spiritus moveri & movere idoneos, marcor habet insuperabilis: non fecernuntur à lymphâ, à sanguine non fecernuntur. Sanguis ipse in vasis majoribus impeditus, circuitum absolvit pigerrimum. Si qua Medicis fides: si qua experientie quotidianæ: morborum innumerorum fomes, aqua vitæ. Bibebat ille (a) aquam vitæ copiosius: hinc membrorum enata paralytis. Laborabat alter vitio eodem, pœnas luit temeritatis suæ, factus (b) apoplecticus. Alter (c) liquoris ejusdem amans luctuosam priorum sortem non effugit inultus: immò expertus graviora; pruritus totius corporis intolerabilis, irrequieta artuum lassitudo præludia fuere æteri, Dyspnœæ, mortis denique ipsius; quæ utinam corripuisset gradum, doloribus acerbissimis finem ocus impositura. Plurimi (d) exhibuere homines spiritu vini immoderatiùs hausto facti stupidi, hebetes, attoniti. Non acriùs venas opium momordisset. Unanimis eâ in re Medicorum consensus: capiti insensibilissima spirituosorum epotatio: affectus generat soporosos, ciborum appetitui, eorumdem digestioni iniquior. Testem appello *Sylvium*; (e) undenam inter Londinenses vulgaris hydrops. In promptu causa est Aquæ vitæ usus crebrior. At testimonia experimentis confirmantur. Liceat instillare in os felis spiritus vini cochleare unum; cæco igne carpitur: agitur furibunda vitam amissura citiùs. Insinuantur per venam canis jugularem ope syringis spiritus vini uncia duæ; perit subito miserum animal. Adde ipso aves subito enecari: chylum, lac, lympham, bilem, liquoresque omnes spiritu vini infectos concreverunt statim in massas ferè osseas, lapideasque. Væ igitur miseris illis, quos ordine inverfo mortem juvat pede libero provocare. Apage sint potulenta illa, queis viribus senescitur priùs, quam ætate: quibus properato funere dies hominum reserantur.

V.

NEQUCQUAM saluti hominum consulitur, trahit sua quemque voluptas. Frustrâ clamatur à Medicis: caveant malè cauti à spirituosorum haustu; latere sub herbâ anguem. Quid non contrâ suggillat imprudentium potarorum malè sana temeritas? Quid non crepat? spiritum vini præcipua vitæ inter languentis remedia luculentissimum. Eo corroborari partes corporis omnes, eo augeri magis ac magis fibrarum, si quæ laxæ fuerint, vim reciprocâ, motum oscillationis restitui. Provocat, aiunt, spiritus animales divinus liquor; morantes increpat; stagnantes agit. Foveas membra quælibet malè torpentiâ vivificâ aquâ: transpirant humores. Eâdem fricaveris partes corporis debiliores, paralyticas,

(a) Hechstetterus Dec. x. c. vi.

(b) Idem.

(c) Idem.

(d) Platerus. Rolincius, Hoffm. uterque. Wedelius in Pathol.

(e) Lib. I. Prax. c. x. idem Lyfter. in exercit. de Hydrope.

etiam contusas. Frictionem sequitur subitus vigor. Egregiam sanè laudem : quasi verò, dum in apoplexiis, lethargis spiritum vini admoves fiat interna ipsius applicatio. De externâ non ambigitur. Esto naribus, temporibus, pectore, stomacho, pugillis aquâ vitæ imprægnatis fibrarum motus reviviscant. Quis aquam vitæ stipticum negat non adè inefficax. Cujus tamen virtuti ne plus æquo confidas. Fibras nimis exsiccat spirituofus liquor, vel extrâ admotus. Illo malè crispantur. Illo, eo usque spissantur liquores, ut morum per vascula interrumpat. Undè nimia ipsius vis, aquâ vel succo plantarum moderanda. Ni sic præcaveas : eadem manebit ægrum fors, quæ virum quemdam non infirmioris notæ. Laborabat immodico pedum sudore, pori laxiores, meatus apertiores. Iis obstruendis, spiritum vini rarus non imparem, pedes irrorat, fricat infido liquore. Sed quid inde? evanescit penitus pedum transpiratio : crispantur fibrillæ, constringuntur, corrugantur. Hinc acutus capitis dolor : incessus difficilis, importuna alvi subduclio. Igitur adhibeas Aquam vitæ intrinsecus, extrinsecus, duntaxat admiseris. Ex utroque discrimen grande : hinc premit canis, indè lupus Caveas tamen attentius ab haustu, cui si gulæ parens obtemperaveris, frustra senectutem prætolabere : morborum iliade citò consumendus.

Ergò Aqua vitæ, Aqua mortis.

DOMINI DOCTORES DISPUTATURI.

- | | | |
|---|--|--|
| <i>M. LUDOVIC-HIERONYMUS RAUSSIN, Doctor-Regens, Antiquior Scholarum Magister, Prof. Antonianus.</i> | <i>M. JOANNES - BAPTISTA-PETRUS-HENRIC. CAQUÉ, Doctor-Regens, Professor Mallus.</i> | <i>M. JOSEPHUS RAUSSIN, Doctor-Regens, Professor Scholarum, nec non in utroque Jure Licentiatas.</i> |
| <i>M. HENRICUS NINNIN, Doctor-Regens, salubris Consilii Regii Socius, Regiorum Nosocomiorum Inspector, Professor Scholarum.</i> | <i>M. JOANNES-CLAUDIUS NAVIER, Doctor-Regens, Scientiarum & Artium Academia Catalaunensis Socius, Prof. Schol. nec non Saluberrimæ Facultatis Decanus.</i> | <i>M. GERARDUS-ALEXANDER DEMANCHE, Doctor-Regens.</i> |
| <i>M. ROBERTUS FILLION, Doctor-Regens, Professor Antonianus.</i> | | <i>M. PETRUS-ANTONIUS PETIT, Doctor-Regens.</i> |

Proponebat Remis, JOSEPHUS-MARIA-MATHURINUS THOMAS DESVIGNEAUX, Andegavenfis, Saluberrimæ Facultatis Remensis Baccalaureus.

A. R. S. H. M. DCC. XCII.

PRO LICENTIATU.

Ex typis JEUNEHOMME, Patris & Filii, Facultatis Medicinæ Typographorum.